



## PRÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLVM.

**V**ulgato sermone tritum est, amœ-  
na non facile nauseam sui parere,  
sed repetita quoque non displice-  
re, imo eo maiorem spirare gra-  
tiam, quo frequentius subeunt vsum.

Id si vllibi verum est, profecto de natu-  
ræ arcanis est verissimum, seu ipsa sibi reli-  
cta lustremus simplicia, seu qua artis patent  
examini.

Utrobius fons est inexhaustus, labore  
exantlando magis indies scaturiens, imo  
potius oceanus quidam, in quo diuini nu-  
minis sapientia æterna ac ineffabilis se con-  
spiciendam velut speculo quodam offert.

Non solum trita ipsa sensibus afflant ma-  
iorem

*iorem tum gratiam, tum effectum, sed digesta, quæ sita, reuoluta subinde exhibent aliquod nondum visum, vel concinnius afficiens intellectum.*

*Non actum ergo videbimur agere, si Tractatui de Medicamentorum Facultatibus superaddere sustinemus si non alium, tamen alterum, quam AMOENITATVM MATERIÆ MEDICÆ nomine inscripsimus.*

*Pellexit eadem ad se animum mira sua amœnitate, maximo usu, ut non gratia delectet modo, verum utilitate summa. Omnis medica praxis huic velut basi superstructa est, forma huic materiæ, quæ medica hinc per excellentiam audit, quasi selecta ex vasto ambitu naturæ in humanæ valetudinis præsidium.*

*Sunt, qui strictioribus cancellis includunt eandem, quod dum facimus, cauendum est, ne curta nimis sit suppellex, nec arma sufficientia contra hosticam turbam non leuem*

leuem. Alii diffuso inhærent campo, ipsa  
multitudine incerti, quid eligant. Medium  
& hic tenuere beati.

Operam hinc dedimus præfente libro, ut  
sufficenter debellari possint morbi potiori-  
bus & magis actiuus remediis, vnaque ratio  
agendi pateret, ut inculpate possimus in-  
medendi lubrico freto progredi, nec in sco-  
pulos vel syrtes adigamur, naufragium fa-  
cturi famæ, vel vitæ quoque alienæ, quam  
omni studio seruare studemus.

Perinde vero fuerit, vtrum commenta-  
rii vice ac supplementi habere librum quis  
velit dicti illius, eodem tractandi ordine  
gaudentem, an seorsim exinde fructum, si  
quis inde carpendus erit, legere. Malui-  
mus enim extare vtrumque solum, qui com-  
mentariis minus fauemus.

Si dicere volumus quod sentimus, pri-  
mus philosophandi gradus est, ultra vulgus  
sapere, secundus, non occupari in commen-  
tan-

tando vel refutando, tertius, magis ex natura & rebus, quam ex libris & autoribus sapere.

Repetere dicta iam nolimus, illustrare vero annisi sumus, ut conferri utraque possint, & coniunctim spectari.

Idem quoque fecimus in PHARMACIA ACROAMATICA, quam ad eundem modum apparauimus, prelo non minus committendam, si expeti id, vel non improbari saltem ab eruditioribus nouerimus. Hisque stabilitis, si Deus voluerit, demum licebit maiori commoditate luci dare PRAXIN CLINICAM, cuius specimen DE CONVULSIONE nuper dedimus.

Si vero quæ videbuntur minus adhibe laborata, vel cæteris æqualia, excusatos nos habebit LECTOR BENEVOLVS, si nouerit, varie districtos non posse enitendo fœtui decoro, & cui nil addi queat, vacare.

Discursus sunt isti penso publico impensu,

*si, non extemporanei quidem, sed solícite  
concepti, varíe tamen interpolati. Vale  
LECTOR BENEVOLE, & quo affectu in  
publicum artis incrementum ea damus, eo-  
dem accipere ne graueris. Dab. e museo  
Ienæ 1684. d. 22. Febr.*

*Nomina Iuuenum insignissimorum,  
qui in exercitamenti publici vicem, certa  
quisque capita, defendenda sumpsere,  
sunt sequentia:*

1. DANIEL CHRISTOPHORVS MEINEKE,  
Quedlinburgensis Saxo.
2. IOHANNES MARTINVS EHRLICH,  
Altenburgensis Misnicus.
3. CHRISTOPHORVS BECKER,  
Hemipolitanus Saxo.
4. IOHANNES PETRVS FISCHERVS,  
Coburgensis.
5. IOHANNES WILHELMVS DIMELIUS,  
Sufato-Westphalus.
6. CHRI-